Binæ dissertationes medicæ
Theoretico-practicæ....
quas tueri conabitur ....
Bartholomeus Devars è
sancto-paulo apud Barcilonenses,
pro Doctoratu.

61343/P

DEVARS, B.

BINÆ DISSERTATIONES
MEDICÆ
THEORETICO-PRACTICÆ
PROPOSITÆ

AB ILLUSTR. AC NOBILI D. D.

JOSEPH. GASPARD. GAUTIER,

Doctore Medico Aggregato ac Profeſſore Primario, & Botanico.

QUAS TUERI CONABITUR Deo-duce & auſpice Dei-parâ, Nobil. D. BARTHOLOMÆUS DEVARS, è Sancto Paulo, apud Barcilonetenſes, Diæceſis Ebredunenſis, Medicinæ Licentiatus.

IN MAGNA CANCELLARIÆ AULA

PALATII ARCHIEPISCOPALIS.

Die Auguſti 1717. à Septimâ ad Meridiem.

PRO DOCTORATU.

AVENIONE,

Apud CAROLUM GIROUD, in foro Cambij,

M. DCC. XVII.

318332

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

DISSERTATIO ACADEMICA AN

Contumaci Capitis dolori Laudani Uſus.

I.

IDEO certè homines ſanitatem potiſſimùm expetere videntur, ut dolore ſint immunes; tanta ſiquidem eſt graviſſimi iſtius ſymptomatis acerbitas & vehementia, ut omnes ab eo torqueri contremiſcant, ejuſque vel minimos inſultus experiri reluctentur.

Quid enim in Morbis dolore moleſtius & intolerabilius? Quid ægrotis gravius? Quid Medicis urgentius? Quid aſtantibus ipſis tædioſius videri poteſt? Quid tandem æconomiam animalem tàm dirè afficit? Quàm ipſe dolor, qui non ſolùm corpus vigiliis atterit ac debilitat; ſed & ſpiritus reſolvit animales, nativumque calorem

paulatim exhaurit ; Qui inquam, ſanguinem & humores exagitando, ità alterat & corrumpit, ut ſubindè fluxiones, febres, inflammationes, imò ſæpè animi deliquia & ſyncopen ; ob virium exolutionem accerſere queat ; Qui demùm ob intolerabilem quâ corpus exercet ſævitiam, ipſos patientes aliquandó ad tantos impellit deſperationis motus, ut ſpontè ad mortem ipſam, tanquam ad optabile fatum confugiant, eamque non ut cruciatum ; ſed ut quoddam levamen in luctu, duriſque malorum anguſtiis intueri cogantur, eó uſquè doloris acerbi ſtimulis ſæpè perciti, qui ſibi ipſis vel cruentas manus inferre potiùs, quám infauſtos dies longiùs protrahere malint, ut quàm plurimis viſum eſt exemplis.

Porró moleſtiſſimus ille affectus quamcumque corporis partem exerceat, prompta & efficaciſſima poſtulat remedia, ut à ſæviſſimis ægrotantes liberati cruciatibus ſalutarem Medicorum opem, miramque vim remediorum agnoſcant, & prædicent, cùm divinum ſit opus ſedare dolorem, ac in eo maximè repoſita videatur eximia Medici facultas, teſtante Hyppocr.

I I.

QUIA verò varios inter ac multipli-

ces doloris inſultus, quibus obnoxium eſt corpus humanum, frequentior nullus adeſt magiſque communis, quàm Capitis dolor, ut potè plurimorum morborum plerumque ſocius importunus, & qui ſæpè omnem Medici eludit operam; Ideó præ cæteris hujuſce affectûs Æthyologiam inquirere ſatius eſſe exiſtimamus.

Quamvis autem nihil frequentius occurrat in praxi quàm dolor capitis, ità tamen variam atque incertam habet originem, ut difficillimum videatur ejus Theoriam exactè deſcribere. Etenim hic affectus nulli temperamento particulari, vel victûs rationi, nulli cauſarum evidentium aut continentium generi affixus, indiſcriminatim Frigidos & Calidos, Sobrios & Intemperantes, Jejunos & ventre Plenos, Pingues & Macilentos, Juvenes & Senes, uno verbo, quoſlibet cujuſcumque ætatis, temperamenti, ſortis & conditionis homines invadit, ità ut mirum quodammodo videatur, ſi alicui Caput nunquàm doluerit.

Porrò dolor ille, ſi primarió capitis vitio contingat, & ſtabilis ſit atque diuturnus, totumque caput vel majorem ejus partem occupet, Cephalæa dicitur; ſi autem non ità contumax ſit, ſed vel á cauſis externis, vel etiam ab internis, & á febre ipsâ dependeat, Cephalalgia nominatur.

Quod ſi anteriores tantùm frontis, & oculorum partes exerceat, & per circuitus invadat, Hemicrania appellatur.

Omnis capitis dolor dùm ſævit, non-nihil terrificus videtur propter excellentiam & dignitatem partis cujus officio vita carere nequit: Eo enim urgente motus & ſenſus interturbantur, omniaque membra in conſenſum trahuntur, ut hoc trito fertur adagio.

Dùm caput dolet, cætera membra dolent.

I I I.

EX receptâ communi doloris in genere ideâ, dolor dupliciter ſumi poteſt, materialiter ſcilicet & formaliter: Si ſumatur materialiter, definiri ſolet, triſtis & moleſta ſenſatio producta à violento nimis & vehementi ſpirituum animalium ad cerebrum refluxu; ſi veró formaliter tantùm uſurpetur, dolor eſt ipſa perceptio objecti quod nos moleſtè afficit.

Variæ ſunt doloris ſpecies, ratione cauſæ, vel ratione partis affectæ. Ratione cauſæ, ſi fiat á pungentibus, lancinans ſeù pungitivus; ſi á diſtendentibus, tenſivus; ſi á gravantibus gravativus; ſi á ſecantibus, dilacerans; ſi á pulſantibus, pulſativus; ſi á rodentibus & corroſivis, mordax dolor

nuncupatur & ſic de cæteris.

Ratione partis affectæ; ſi contingat in Stomacho ſtomachalis; ſi in Vtero uterinus; ſi in Renibus nephriticus; ſi in inteſtinis colicus dolor; ſi in coxendice Iſchiadicus; ſi in capite Hemicrania, Cephalæa, vel Cephalalgia dici ſolet. Undè patet omnes doloris ſpecies quoad modum duntaxat inter ſe differre, eaſque in ſolo ſpirituum ad emporium uſquè præcipiti refluxu conſiſtere; quod quidem diverſimodè contingit pro ut moleſtæ objectorum impreſſiones fortiùs vel debiliùs agunt in diverſa ſenſuum organa.

Cum itaque dolor interventu motûs ſpirituum eveniat, illeque motus quovis violento modo in omni corporis parte ſenſibili poſſit excitari, non mirum ſi dolor capitis nobis plauſibiliter eſſe videatur triſtis ac doloroſa animi ſenſatio pendens á vellicatione, diſtentione, Eroſione; ac continui ſolutione in fibrillis nervis capitis.

Hic autem pró ut varias capitis partes, & variè invadere ſolet, multifariám dividitur. Vel enim in membranis cerebri ſedem habet, aut pericranium & cutem afficit, undè vulgaris illa apùd auctores reperitur in internum & externum diviſio. Item aut per ſe incipit primó & à vitio cerebri dependet, aut alios corporis affectus

conſequitur, tùncque Idiopaticus & ſympaticus, ſivè ſymptomaticus nuncupatur; aut totam cerebri peripheriam, vel vnam tantùm partem occupat, tùncque univerſalis aut particularis dici conſuevit. Dividitur & ulteriùs prò ratione vehementiæ & durationis in levem & vehementem; acutum & hebetem, brevem & diuturnum, continuum & intermittentem, periodicum & Erraticum &c.

I V.

EX ſuperiùs recenſitis facilè infertur cauſam doloris capitis nōn aliam eſſe præter illas omnes, quæ aut vellicationem, diſtentionem, corrugationem, & continui ſolutionem partium nervoſarum excitare poſſunt, quales potiſſimùm ſunt particulæ ſanguinis nunc ſeroſæ ſalibus onuſtæ, nùnc bilioſæ, quæ prò ut interſtitia fibrarum nervearum ſubeunt, ſpiritus in iis hoſpitantes vehementiùs commovent, qui cùm impetu versùs originem refluentes, certis quibuſdam naturæ legibus improportionatum in animâ motum excitant, quem ſenſatio moleſta conſequi ſolet. Ad hoc etiàm multúm facit ſanguinis Turgeſcentia, à quâ diſtendi vaſa cerebri, & partes membranoſas neceſſum eſt, undè & ſpiritibus talis

motus

motus ſupervenit, in quo triſtis illa doloris ſenſatio conſiſtit.

Dolor capitis habitualis & contumax de quo hic præcipuè agimus ſemper habet aliquam cauſam procatharcticam alicubì Affixam, ſeù aliquem fomitem tùm à ſanguine, tùm à malâ partis prædiſpoſitione prodeuntem; nec enim ſanguis, ejuſque ſeroſitates pravis quibuſcumque recrementis, & excrementis onuſtæ unquàm Cephalæam parerent, niſi prævia eſſet partis malè affectæ conſtitutio, quâ promptiùs & faciliùs materia morbifica excipi, congeri, & ad actum excitari poſſet. Sic vg. Cranii, nimis denſa textura, aut ſuturæ ſtrictiùs unitæ, intùs fuligines ſeù tranſpirationis materiam coërcendo, anſam præbent huic morbo; ſic oſſis fruſtula cerebri membranas pungentia, aut vermes ibidem geniti, vel abſceſſus in Cerebro, membranis, aut Pericranio & cute congeſtus, non ſecùs ac ulcera, calculi, ſchirri, caries, eaque omnia quæ quocumque modo fibrillas nerveas & partes membranoſas pungendo, diſtendendo, comprimendo aut erodendo ſpiritus in motum adigunt, eundem pariunt effectum, Cephalæamque producunt.

Hæc de doloris capitis cauſis conjunctis & ratione formali dicta ſufficiant; Nunc verò breviter perſtringamus remotiores

quaſdam alias , quæ priores exſuſcitant, & in actus, ſivè afficiendi rationes dolorificas cient. Illæ autem triplicis ſunt generis. Ad primum referimus cauſas illas omnes externas, quæ ſanguinis ſalia extricare valent, ut ſunt plurimúm victus Calidus, alimenta nempè aromatica & piperata, vini generoſi potus, inſolatio, exercitium immòdicum, diuturna animi contentio, & alia id genus, quæ per inteſtinum quem conciliant humoribus motum principia ſalina à cæteris principiis extricant, quæ in cerebro tranſcolata corrugationem, & vellicationem partium nervoſarum producere apta nata ſunt. Ad ſecundum referimus illa omnia, quæ ſanguinis fermentationis motum adaugent; ita ut dùm ad cerebrum majori copiâ defertur, vaſa diſtendat, undè & diſtendendo fibrillas nerveas, dolorificam ſenſationem efficiat; tales ſunt impuritates viſcerum, aut recrementa in partibus remotis congeſta, quæ ſi nimis viſcida & craſſa, vel acido-ſalſa ſivè à ventriculo & inteſtinis vel aliundè prodeant dùm ad cruoris maſſam perveniunt, ei majorem quàm par eſt conſiſtentiam impertiuntur; undè ſic grumefactus ſanguis exilia capitis vaſa facilè obſtruit, mox accumulatus, per ſe, vel expreſſo ſero gravat, vel acidis quibus Idem

ſerum turget, pungit & vellicat; aut hærens & fermenteſcens ſua clauſtra perrumpit, atque ità doloris ſenſum inducit.

Tandem hîc ultimò referimus inter cauſas remotiores capitis doloris, illa omnia quæ cerebrum debilitando, & tonum illius deſtruendo, illud humorum congeſtioni aptius reddunt ut ſunt potiſſimùm violenta cranij contuſio, ſomnus immoderatus, triſtia animi Pathemata, aëris flalulenti intromiſſio, (ut accidit præſertim puerperis, quæ dùm citiùs libero aëri ſe committunt, diuturno capitis dolore tentantur,) & alia hujuſmodi quæ quomodo cauſam conjunctam commoveant ſatis cuique obvium eſt.

V.

DIAGNOSIS hujus affectûs ſatis ſuperque patet ex aſtantium, Ægrorumque relatu. Cauſæ verò difficiliùs detegi poſſunt; propriis tamen ſignis cuilibet attendenti ſufficienter innoteſcunt. Dolor enim perpetuus & indeſinens pro ſuâ causâ agnoſcit aut humores vitiatos aut vermes in cerebro genitos, aut nimis ſtrictam ſuturarum unionem, & ſimilia genus nervoſum Lædentia. Recenti veró & interpolatè recurrenti capitis dolori acrimoniam humo-

rum, aut plethoram, aut febrem ferè ſemper adjunctam eſſe videmus. Idiopaticus ſeù eſſentialis capitis dolor diſcernitur, ex eo quod primarió perſentiatur, nullâ prægeſsâ aliarum partium læſione; ſed potius ſubſequente interdùm quâdam functionum animalium alteratione, ob nimis violentas nervorum ſuccuſſiones, & immoderatum ſpirituum refluxum ad cerebrum. Sympathicus veró præceditur ab aliquo alio affectu ut á febre, nauſeâ, vomitu &c.

Externus ab interno diſtinguitur, quià in externo ad minimam Capillorum inverſionem dolor adaugeatur, quod non accidit in interno, & ſic de cæteris.

V I.

PROGNOSIS doloris capitis in genere plerumquè periculo vacat, & lethalis per ſe non eſt, præſertim ſi recens fuerit, & facilè diſcuti poſſit: eſt tamen mali ominis ſi diutiús perſeveret, quoniam jurè ſuſpicamur á Tumore, Abſceſſu, aut Vermibus ſuboriri, undè curationis ſpes exigua, aut nulla ſupereſt. Qui à ſanguine craſſo, viſcido, & acidis onuſto in vaſis cerebri ſegniùs circulante ortum habet, non adeó pertinaciter affligit ut conſtat exemplo puellarum chloroſi laborantium,

quæ facilè ex capitis doloribus etiam vehementibus ſolo aperientium, aliorumque alterantium uſu liberantur. Cephalæa hæreditaria aut à malâ conformatione prodiens nullam aut ſaltem difficilem curationem admittit. Quæ pendet à fermento venereo ſanguinem inficiente, ſolúm mercurialibus debellatur; Quæ ab ſcorbuto, antiſcorbuticis evaneſcit. Quæ vertigine, vel affectibus convulſivis, aut ſoporoſis ſtipatur, ſivè ſit continua, intermittens, vel periodica periculum portendit, ac ſæpè in Apoplexiam, Paraliſim, Epilepſiam, aut Inſaniam, Cæcitatem, vel Surditatem, alioſque morbos funeſtos & incurabiles terminatur.

Hyppoc. Aph. X. Sect. 6. Prognoſim ſic inſtituit. Capite dolenti & vehementer laboranti, pus, vel aqua, vel ſanguis per nares, aut os, aut aures effluens, morbum ſolvit. & Aph. LXVIII. Sect. 5. Sic ait, è capitis poſteriore laboranti, in frontem recta excurrens vena inciſa prodeſt.

VII.

QUOD ad curationem attinet, Methodus Therapeutica in genere ad temperandam humorum acrimoniam & turgeſ-

centiam omninó dirigenda eſt; ſed quià non ritè ſuccedit, ſi ab aliis ſuprà allatis cauſis dependeat, ideò præter illam generalem indicationem, ex propriis diagnoſeos ſignis deducendæ ſunt aliæ magis particulares. Si enim vg. fractura cranij locum det morbo, celebranda Trepani operatio, & auferenda ſolitis inſtrumentis oſſium fruſtula meninges pungentia. Si ſuſpicio adſit vermium latitantium in capite, ut narium pruritus, & verminoſa naturalis diſpoſitio, vel eorum frequens per alias vias excretio ſuadere videntur, túnc remedia anthelmintica ſeù vermes enecantia ſunt exhibenda. Generari autem in cerebro vermes, implacabileſque dolores ex eâ causâ enaſci, Avicennæ, Hollerij, Gonradini, Coïteri, Zacut. Luſit. & aliorum peritiſſimorum virorum teſtimonio ratum eſt. Denique ſi dolor capitis ſit ſymptoma luei venereæ, ad antivenerea recurrendum, & ſic de cæteris, quæ ex ipsâ aliarum cauſarum abſentiâ meliùs & tutiùs, dignoſci ac determinari poſſunt.

Ad Turgeſcentiam autem humorum compeſcendam conferunt imprimis venæ ſectiones; item acida, & refrigerantia præſcribi debent; vitanda omnia quæ calefacere poſſunt. Conveniunt identidem potiones purgantes, imó & vomitoria, ac ene-

mata; quoniàm ea primarum viarum impuritates foràs protrudunt, quæ ſanguini permixtæ motum illius augere poſſent.

Ad Acrimoniam veró humorum demulcendam præmiſſis venæ ſectionibus è brachio & pede, vel ex jugulari pròut congruentiùs videbitur, conveniunt Anodina & diluentia, ut ſerum lactis, lac, bálneum, aquæ thermales, & alia hujuſmodi alterantia, quæ bilis fervorem temperando, ita & humorum acrimoniam demulcent. Sed cúm aliquando eveniat, ut iis omnibus remediis non cedat capitis dolor quin imó contumacior evadat; quid ſupereſt ſolatii? niſi ut ad Narcotica confugiamus, quæ cúm ad dolores ſedandos præ cæteris omnibus remediis facilè palmam præripiant, cùmque in affectu de quo agimus nihil magis urgeat quàm dolor, ideó in hoc caſu eorum uſum commendamus, eó magis quod ex ſaniori praxeos dogmate, urgentiori ſemper ſit ſuccurrendum. Porró licet Narcotica ipſam doloris contumacis cauſam capiti affixam deſtruere nequeant, nihilominús tamen eâ ratione convenire cenſentur; quod ſomnum conciliando, doloris ferociam minuunt, & ſublevant; Quia veró Laudanum præ cæteris talem effectum benignum præſtare valet, ex eo quod opij

particulæ ſpiritus animales irretiendo, eorumque nimis violentum refluxum impediendo, dolores compeſcant, aut quia ſcindentes & acriores ſalium partes obtunduntur ab iiſdem volatilibus & ſulphureis particulis quibus abundè ſatis refertum eſt opium; ideó jurè concludo.

Ergò contumaci capitis dolori Laudani Uſus.

DISSERTATIO

SECUNDA,

De Aphoriſticâ ſententiâ Hyppocratis XXIV. Sectionis primæ ſub hac verborum Serie exaratâ.

In morbis acutis rarò & per initia Medicamentis purgantibus utendum eſt, idque priùs diligenti adhibitâ circunſpectione faciendum.

SAPIENTISSIMUS Medicinæ parens Hyppocrates tria in hoc aphoriſmo notatu digniſſima, ſimúlque ad praxim utiliſſima refert. 1°. Purgandum eſſe initio in acutis; 2°. Illud raró faciendum; 3°. diligenti priùs adhibitâ circunſpectione. Notum erat ſiquidem priſcis temporibus, ut & hodiè ferè ab omnibus medicis receptum eſt, morbos acutos plurimùm pendere á putredine, praviſque humoribus in ventriculo primùm ſtabulantibus, qui ſenſim ad certam copiam ag-

geſti & exaltati, atque á primis viis in ſecundas, ſeù in cruoris ſinum delati, totam maſſam ſanguineam inficiunt, debitam mixti compagem ſoluunt, illiuſque principia ità exagitant & perturbant, ut indè lucta, febriliſque fermentatio ſequatur, eó uſque duratura, quó illa materies impura motu ſive critico, ſive artificiali foràs eliminata fuerit. Quot verò, quantaque ex hac febrili fermentatione mala oriantur, ſummo generis humani detrimento quotidiè experimur; laborare cerebum, vitiari facultates animales, dirè pulmones affici, naturales labefactari functiones, verbo dicam, totum corpus tumultuosè concuti & vacillare; quibus quidem præcavendis incommodis prudenter purgationem in morborum initio proponit Hypocr. cujus ope primarum viarum corruptela, quæ ſe habet ad inſtar præcipui morbi fomitis evacuetur, antequàm major illius copia altiùs ulteriúſque in ſanguinis ſinum ſerpat tot mala excitatura.

Quià verò ſæpè evenit ut magna materiæ illius morbificæ portio jam à principio tranſierit in vaſa ſanguifera, jamque intimè cruori permixta ſit, ſumma adhibenda eſt cautio antè remedij purgantis exhibitionem; nè ſcilicet, priuſquàm per debitam fermentationem materia impura

jam cocta, & veluti excentrata fuerit, tumultus inutilis, imò & periculoſus excitetur à medicamento purgante; quarè illud rarò & cautè præſtandum monet medicorum Coriphæus, ideòque alibi dixit, concoctis medicandum eſſe, non veró crudis; niſi materia turgeat. Si itaque adſint indicia corruptionis in primis viis, nihilque aliundè inhibeat, purgatio etiam in principio erit inſtituenda, eaque ritè convenire cenſetur, cùm ſcilicet illius ope fermenti morbifici major copia ſubitó reſcinditur, foràſque ad ægrorum ſalutem amandatur; undè & alibi notavit etiam Hypp. ſi quid movendum videtur, moveto per initia, & Aph. XXV. ejuſdem Sect. ſic proſequitur, ſi talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & facilè ferunt: Sin contrà accidat, difficulter. Quibus omnibus rationibus concludo cùm eodem Hyppoc.

In morbis acutis raròò & per initia medicamentis purgantibus utendum eſſe, idque priùs diligenti adhibità Circunſpectione faciendum.